



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320



HISTORIÆ PROVINCIAE ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER PRIMVS.



Acta sunt in Italia ab *Ignatio Societatis Iesu* fundamenta sub idem ferè tempus quo in *Anglia Henricus Octavus* sedum schisma ordiri aggressus est; diuino planè consilio, vt quo tempore *summi Pontificis auctoritas* à superbo & luxuriante *Rege* cæpta est conuelli, eodem illius ordinis semina ponerentur, qui & se *Pontificum* obsequio peculiaris voti religione adstringeret, & orbem vniuersum in *sanctæ sedis* debita veneratione conaretur retinere: Tum vero cùm tēpla diruere, religiosas domos euertere, innoxio se maculare sanguine, furenti audaciâ Rex progredieretur, & *Societas* ipsa Pontificijs diplomatibus est stabilita, & in hanc lucem editus Londini *Edmundus* ille *Campianus*, qui primus deinde è *Societate* fuso sanguine *Christi vicarij* potestatem in ea insula asseruit, & non defuturos esse qui in posterum assererent commonstrauit.

Origo Societatis & Schismatis Ao. 1535.

1540. 7
Bombinus vit Camp. c. 1.

II. *Anglia* tamen è Prouincijs ad septentrionem positis *Societatem* pene postrema conspexit; & (quod non in postremis eius locandum est malis) didicit prius odio habere, quàm quid odio prosequeretur agnosceret. Nimirum schismate altius imbibito vna videbatur causa *Romanæ sedis*, & eorum qui se ei sedi obseruandæ deuouerant: Illam communi errore execrabantur hæretici, hos quâ nouo legum genere in pietatis exercitia vniuersa *læsæ Maiestatis* nomine

B

mine traducto, quâ acerbissimis quæstionibus supplicijque aut arcere regno satagebant, aut perdere: sed creuit sub incude *Societas*, atque ab iplo duxit opes animumque ferro.

III. Neque id quod longo post tempore futurum erat uiuentem latuit *Ignatij prædictio*. Is enim cum consuleretur aliquando à Prouinciali Romano admittendusne esset in societatem quidam *Anglus*, iussit admitti, fore enim ut olim in *Anglia* floreret æquè *Societas* atque in alia qualibet Prouincia. Et sanè si diuinæ bonitati placuit Patriarchis illis antiquis, ad erumnarû solatium, venturæ sobolis fertilitatem, ijsdem in terris in quibus tum peregrinabantur, præmonstrare; si *Ignatio*, cum ex *Parisiensi* inopia *Antwerpiam* excurrisset, indicauit fore ut *Petrus Quadratus* Methymnæ suæ Collegium Societatis postliminio conderet, quid miremur, si ad leuamen inopiæ & laborum, à diuina mente anticipata notione intellexerit, hoc veluti altero in orbe sibi suscitatum iri aliquando illustre semen, ibi oriturus luminis sui stellas sine numero, ubi sub teterrimo Schismate capisset noctescere, idque co fortassis tempore diuinitus præuidisse, quo rerum ad vitam cum litterarum studio tolerandam necessariarum indigus, traiecto Oceano penetravit Londinum subsidia egestatis ab Hispanis institoribus Christi nomine quæsiturus.

IV. Quantopere verò iam inde ab initio natæ firmatæque Societatis ei auerlata sit *Anglia*, etiam uiuente *Henrico* Rege eius nominis Octauo, non erit difficile hinc æstimare, quod cum adlaborante Roberto Primate Armachano, viro doctrinæ pietatisque eximia, destinatus in Hiberniam fuisset auctoritate Pontificia, primùm *Ioannes Codurius* ex *Ignatij* decem Sociis vnus, ei que immatura morte præcepto substitutus *Alphonsus Salmeron*, in eam Insulam cum *Pascasio Broëto*, & *Francisco Zapata* penetrasset, nec Pontificis consilia in retinendis in obsequio *Romanæ sedis* populis exequi, nec alia legati munera obire, nec commemorari quidem, nisi mutatis sæpe latebris, summoque tum suo tum hospitem suorum periculo, per Regionum odia, Ministrorumque sagacitatem potuerit, nec per *Angliam* parare reditum, nec in *Scotia*, ob serpentem ex *Anglia* hæreseos pestem, vtiliter operam ponere. Itaque velut *Orci* indignantis estu reiectus, in *Italiam* reuertitur, futurus documento ægrius aliquanto ab detortis in praua dogmata, ac maleuolæ voluntatis obstinationem hominibus Christianis, quàm ab Ethnicis ipsis atque nulla Religione excultis, Pontificios, id est, Dei oratores admitti; quando Ethnicis ignorantis fere solâ, & auitæ superstitionis veneratione falluntur, hi falli potius volunt, quàm fallantur.

V. Cæterum *Ignatius* ubi suorum diligentiam difficulter hisce ad septentrionem collabantibus regnis adferri medelam cerneret; quod supererat, id egit sedulo, ut ijsdem precum suarum Sociorumque auxilio opitularetur, tempus operiens, quo Deus vberioris messis annos pararet, & colligendæ messi operas idoneas seligeret. Ex legatione autem, quam diximus, *Salmeronis*

Hæresis
Societati
infecta
Ao. 1540.
& 41.

Orlandi-
nus l. 3. n.
45. & 58.